

23

344777

3.10



LUGDUN

Theologi
1.

BX1750

.N35

1784

v.1

c.1



INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ.

TOMUS PRIMUS.

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
MICROFILMADO
7-DC-82 P-14



1080044867

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ;

AUCTORITATE

D. D. ARCHIEPISCOPI
LUGDUNENSIS,

*Ad usum Scholarum suæ Diœcesis
editæ.*



TOMUS PRIMUS.



46452

LUGDUNI,

Apud FRATRES PERISSE, Scholarum Lugdunensium
Bibliopolas, in vico majori Mercatorio.

M. DCC. LXXXIV.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

1784

Stamp on the left cover:
BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS
ALMA MATER LUGDUNENSIS
19 11 2 26 27 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50 51 52 53 54 55 56 57 58 59 60 61 62 63 64 65 66 67 68 69 70 71 72 73 74 75 76 77 78 79 80 81 82 83 84 85 86 87 88 89 90 91 92 93 94 95 96 97 98 99 100

BX1750


V35

178A



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

132712



M A N D A T U M

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

D. D. ARCHIEPISCOPI

ET COMITIS LUGDUNENSIS,

GALLIARUM PRIMATIS,

*Quo præcipitur, ut Institutiones Theologicæ,
ad usum juniorum Clericorum editæ, in
omnibus suæ Diœceseos scholis doceantur.*



ANTONIUS DE MALVIN DE
MONTAZET, divinâ Provi-
dentiâ & Sanctæ Sedis Aposto-
licæ auctoritate, Archiepiscopus
& Comes Lugdunenſis, Gallia-
rum Primas, &c.

CLERO nostræ Diœcesis, SALUTEM ET
BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.

QUOD Deus ipse aditum Sanctuarii iis *Scientiæ*
interdixerit, qui scientiæ acquirendæ *neceſſitas*
negligentes fuerint (a), mirum videri non *in Clero*
cis.

(a) Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne, Sacer-
dotio fungaris mihi. (Osee. 4. 6.)

Tom. I. a

debet, Fratres carissimi; juniores enim Clericos ea manent officia, quibus accuratè defungi non poterunt, nisi doctrinam habuerint pietati conjunctam. Non eò tantum spectabit ipforum munus, ut morum integritate & vitæ innocentia, Ecclesiæ bono sint exemplo, utque in eam suis precibus & sacrificiis nova alliciant Dei beneficia: præterea necesse erit populos sibi commissos veneranda Religionis Mytheria, christianamque disciplinam edocere, iis sanctissimam Dei legem exponere, & omnes cœlestis sapientiæ thesauros recludere. Ubi fuerint conscientiarum iudices constituti, ipsis, non sine grandi periculo, explorandum erit quandonam peccatores solvere aut ligare oporteat. Si enim quædam in sacro tribunali judicia pronuntient, quæ cum verbo Dei & sanctis Canonibus non consentiant, hæc temeritas in suam & aliorum perniciem verterur.

Gravia quidem sunt hæc officia; sed tamen non sola. Postquam per Sacerdotium facti fuerint veluti Ecclesiæ speculatores, ipforum erit, pro datâ sibi auctoritate, ad vigilare ne quid detrimenti patiatur sancta hæc Civitas, ab eâ depellere quidquid fidei vel morum integritatem corrumpere, nefarias impietatis molitiones disturbare, & pravis opinionibus fortiter obistere, quas intrudit & firmat imperiosa cupiditas. Ad obeundas verò tot & tantas functiones, quantum requiritur scientiæ & pietatis!

Maximi esse momenti hanc doctrinæ &

virtutis consensionem, ita persuasum habuit Ecclesia, ut semper de Clericis ritè instituendis fuerit sollicita. Hinc prodierunt tot leges quæ Clericos jubent esse laboris & studii patientes; quæ eos severis subjiiciunt examiniibus, & manus eis imponere vetant, qui hujusmodi probationes non satis feliciter sustinerent. Hinc suam duxerunt originem celebres illæ Academiæ, quæ Religionis tot eximios Doctores & clarissimos defensores suppeditarunt. Hinc tandem Seminariorum institutio, quam tantoperè commendat Concilium Tridentinum; in quibus Clericorum educatio ad eam usque ætatem perducitur, quâ humanum ingenium totas vires suas explicuisse consuevit; quo in capite Ecclesiasticus Ordo ceteris omnibus præcellere deberet.

Eodem consilio, iisdemque rationibus ducti, vel à primis Episcopatus nostri temporibus, censuimus id præsertim muneris nobis incumbere, ut promovendæ & perficiendæ juniorum Clericorum institutioni curam impenderemus. Primò quidem à nobis sancitum fuit, eos theologiacis studiis, quæ priùs intra annum absolvi consueverant, per triennium operam duros. Præterea Theologiæ partes singulæ quâdam cognatione devinctæ sunt, & mutuuum lumen in sese refundunt. Candidatis proinde utiliore fore duximus integram hujus disciplinæ complexionem, licet contractam, quam si ipsis traderentur nonnulli Tracta-

Rationes propter quas istud doctrinæ in hoc scriptum suscipi Typisque mandatum fuit.

sus, fufus quidem expofiti, fed neglectis aliis. Quapropter neceffarium putavimus, quidquid præcipui habet divina hæc Scientia in unum corpus colligere, cujus amplitudo temporis studiis affignato efferet attemperata.

Opere juxta formam modò propofitam abfoluto, illud Typis excufum oportuit, ut variis & gravibus occurreretur incommodis, quibus obnoxia efferet codices dictandi confuetudo.

1°. Enim ex Professoribus multi proprio labore Tractatus non digerunt; fed alienos Codices fortuitò sibi oblatos arripiunt & adoptant. Alii verò sibi nimium confidentes, & Scientiâ leviter tincti, de iis rebus fcribere non dubitant, quarum idoneam non habent cognitionem. Sæpè etiam in eo labore plus celeritatis adhibetur, quàm accuratioris. Unde accidit ut sacra doctrina, vel suam omnem sinceritatem non retineat, vel faltem cum dignitate quæ ipsam decet non exhibeatur.

2°. Nimia cum festinatione fcriptitant adolefcentes, nec dictata satis intelligunt. Hinc plurima in codices menda irrepunt, quæ Studium efficiunt laboriofius, ejusque fastidium movent.

3°. In texendis codicibus fuo Professor quisque genio indulget. Alii, dum brevitati student, nonnifi summa rerum fastigia rapim perstringunt. Ipsorum Tractatus exsuccum duntaxat & ex fanguine Theologiæ cadaver offerunt. Quibus ex fonticulis Clerici

eam quâ indigent doctrinæ copiam haurire non poffunt. Alii in oppositum vitium transcurrunt: quæstiones, probationes, objecta, res quasque vel minutiffimas amplificanti & dilatant fastidiosus. Inde eorum opus in immensum excrefcens, neque Tyronum ætati accommodari potest, neque temporis quo ipsorum studia circumfcripta sunt.

4°. Professores fuos in codicibus non eadem defendunt sententias; fed aliquandò circa doctrinæ capita non levia dissentiant, nec femper in propugnandis fuos opinionibus neceffariam adhibent moderationem. Hic autem sententiarum conflictus, hæc partium studia, discipulorum animis transmissa, luctuosum diffidiis & perturbationibus fomitem fubministrant. Nihil contrâ ad stabiliendam in qualibet Ecclesia pacem efficacius efferet, quàm documenti confensio.

5°. Denique manifestum efferet, receptum in Scholis dictandi usum, adolefcentibus plurimum temporis fubtrahere, quod poffet utilius adhiberi. Fructuosius procul dubio impenderetur in quæstionibus uberius enucleandis, in acuendis crebriori argumentatione ingeniis, in exponendis Scripturæ divitiis, in Tyronibus ad Patrum Opera afuefaciendis, quæ ipsorum studiis efferet cognata. Pretiofa enim hæc Traditionis monumenta cognoscere non folent, nisi ex brevibus fragmentis huc illuc fparfis, quæ à fuo avulsa fedibus, nec eadem vim, nec eundem splendorem retinent. Unde fit ut ipsorum animis ea non infideat reverentia & existi-

matio, quæ tantis viris debetur Religionis tamen magnoperè interest, ut Clerici à teneris consuecant, præstantissimos illos Magistros summâ veneratione prosequi, ab iisque fidei dogmata, & veræ pietatis regulas ediscere.

At, inquiet fortè aliquis, codices adornandi necessitas maximum est Professoribus incitamentum; eos ad majora studia impellit, ad scribendique artem informat: si verò in Scholis prævaleat consuetudo Theologiâ typis excusâ utendi, extinguetur æmulatio, frugebit labor, otio marcescet ingenium, Ecclesia plurimis fraudabitur Theologis qui eam novis scriptis illustrarent.

Difficultates illæ alicujus forsan essent momenti, si ista mutatio in celeberrimas Theologiæ Facultates invehendâ proponeretur; sed eam non commendamus, nisi ob privatam Scholarum nostrarum utilitatem. Re autem sic expositâ, evanescit quidquid metuebatur periculi. Qui enim edocendam suscipiant Theologiam, ad illius muneris delectum non semper feruntur ingenio & propensione, sed plerùmque necessitate & circumstantiis. Qui verò ita affecti ad eam functionem accedunt, illam ad tempus tantùm exercere in animo habent, donèc alia sese offerant ministeria ipsorum moribus & proposito magis consentanea. Quamobrem plerique proprio Marte Tractatus non elaborant, sed alienis utuntur Codicibus. Cum autem ii, ut plurimum, non aliud sint

quàm Scriptorum jam cognitorum fragmenta simul consulta, Ecclesia & Scholæ ex hujusmodi operum jacturâ nihil damni patientur.

Quod spectat ad Professores, qui eximiis ingenii dotibus instructi, Theologiæ studio totos se dedunt, minimè necesse est illos in concinnandis codicibus desudare, ut in ea disciplina excellant. Contrâ ubi isto labore soluti fuerint, plus temporis ipsis supererit, ut sacræ doctrinæ fontes adeant, antiquitatis monumenta scrutentur, & veritates hinc depromptas attentius meditentur. Hâc profectò ratione eam consequentur facultatem, quâ possint Ecclesiam novis & utilibus Scriptis locupletare. Quæ in lucem jam prodierunt, & majori in pretio habentur, suam methodo à nobis ablegatæ non debent originem.

Ea sunt, Fratres carissimi, præcipua incitamenta, quæ ad vulgandas istas INSTITUTIONES THEOLOGICAS nos impulerunt. Ut autem vestram fiduciam huic operi magis ac magis conciliemus, quænam in eo servatæ fuerint regulæ vobis aperiendum est.

A junioribus Theologis exigere non potuimus, ut Scholas diutius triennio frequentarent. Aliundè nobis persuasum erat ipsis utilissimum fore, si intra illud temporis spatium integram Theologiam mente complecterentur. Necesse ergo fuit ut opus illis destinatum certos intra fines coërceretur. Non tamen brevitati sine ullo delectu con-

*Regula
que ob-
servato
suerunt.*

sultum fuit, nec quidquam ex iis prætermis-
sum, quorum cognitio ad solidam insti-
tutionem pertinet. Eæ solæ quæstiones re-
jectæ sunt, quæ nullam, vel remotissimam
tantum habent cum Revelatione cognatio-
nem; quæ mentem inani curiositate pasce-
rent; quæ, teste experienciâ inflammandis
potius quam illustrandis animis idoneæ sunt,
nec proindè sine periculo ventilari possunt.
Ceterum unaquæque materia strictius vel
fessius, pro suæ utilitatis ratione expen-
ditur.

Has quidem INSTITUTIONES attemperatas
voluimus Tyronum ætati & communi in-
telligentiæ, temporique ipsorum studiis
constituto: at majori subsidio fraudari eos
nolumus, qui acriori in Theologiam pro-
pensione incitat, uberiorem ipsius cogni-
tionem optaverint. Quapropter in eorum
præsertim gratiam meliora indicavimus Pa-
trum Scriptorumque Ecclesiasticorum Ope-
ra, quæ circa præcipuas quæstiones consuli
poterunt. Ex secundis illis fontibus am-
pliolem haurient scientiæ copiam. Quan-
tumvis igitur acquirendæ doctrinæ sint
cupidi, non dubitamus quin ipsis sufficiat
nostrum Theologiæ corpus, huic supple-
mento conjunctum.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM præ-
cipua laus in eo sita est, quod genuinam Ec-
clesiæ doctrinam contineant, apertè & sine
ulla ambiguitate proponant, firmissimis ar-
gumentis muniant, Adversariorum difficul-
tates egregiè dissolvant. Ut verò tanti mo-

menti dotes in istud Opus coalescerent,
nihil curæ omissum fuit.

Cùm in gratiam Juventutis susceptum fue-
rit, idcirco diligentius invigilandum erat,
ut nihil contineret nisi verum, accuratum
& moderatum. Testatur enim experientia
Clericos, ut plurimum, sentiendi modum
iis documentis accommodare, quibus fue-
runt à teneris imbuti, & per totam vitam
in doctrina firmiter perflare, quam à prima
institutione traxerunt. Si verò è Libris clas-
sicis quædam principia infelicitè haufe-
rint, quæ à veritate & moderationis legi-
bus abhorreant, ex falsis illis opinionibus
temerè receptis innumeri scaturient erro-
res & lapsus, dum fungentur ministeriis
sibi ab Ecclesia commissis. Quò ferventiori
zelo incalescent, eò gravius peccabunt &
frequentius.

Sacrum Doctrinæ depositum, Ecclesiæ
commissum, duplicis generis veritates com-
plectitur, quas à se invicem discernere
permagni interest. Aliæ non tantum reve-
latae sunt, sed etiam ut tales fidelibus pro-
positæ unanimi totius Ecclesiæ documento.
Quia verò utramque hanc dotem sibi con-
junctam habent, ad Fidem Catholicam per-
tinere ab omnibus Theologis dicuntur. Aliæ
verò in revelatione quidem continen-
tur, sed illas nostræ fidei non proponit
universæ Ecclesiæ consensus. Quinimò eas
interdum in controversiam vocant Pastores
& Theologi, numero plures vel pauciores.
Quemadmodum inter utrumque illud veri-

tatum genus plurimum intercedit discriminis, ita nec minor esse debet discrepantia, sive in eas defendendi ratione, sive in effectibus qui ipsis tribuendi sunt.

Prioris Ordinis veritates, quæ scilicet Fidei Catholicæ dignitatem sibi vindicant, nullus pertinaciter impugnare aut inticiari potest, quin hæresis reum, & anathemate dignum sese præbeat. Aliter autem se habent posteriores: à suæ originis nobilitate profectò non excidunt, licet disputationum nebulis obscuratæ; nec desinunt ad Revelationem & doctrinam Ecclesiæ pertinere. Qui eas feliciter norunt, suam ipsis præsidium non minùs debent. Quin etiam illas eò majori studio defendant necesse est, quò vehementiùs oppugnantur. Eas strenuè & constanter propugnando, ipsarum fidem & traditionem posteris transmittunt; lumen sensim in alios inducunt, qui hujusmodi veritates non agnoverant; viam parant solemni Ecclesiæ judicio, quo pristinum in splendorem; prioremque in auctoritatem aliquandò sunt restituendæ. Sed intereà Theologi & Fideles, qui veritates de quibus agitur vel ignorant, vel etiam aggrediuntur, Catholicorum nomen non minùs retinent, & quidquid juris huic titulo illigatum est; modò tamen ita sint animo comparati, ut Ecclesiæ judicio dociles obsequantur, statim atque de iis controversiis pronuntiaverit. Non licet proindè homines sic affectos, vel inusta hæresis notà infamare, vel unitatis vincula cum ipsis quovis modo rumpere,

vel ullis eos fraudare bonis, quæ suis filiis concedit Ecclesiæ. Limites tam sapienter constitutos prætergredi, quid aliud est quàm Ecclesiæ pacem conturbare, ipsius leges infringere, judicium prævertere & auctoritatem sibi arrogare?

Eadem regulæ ad Ecclesiæ judicia accommodantur, quandò istorum variæ sunt interpretationes, & doctrinæ capita ab iis definita, Pastorum consensione moraliter universalem non obtinent. Ad firmandam quidem suam sententiam iis decretis uti cuique licet, non verò ut eam in dogma fidei convertat, & oppositam censorià notà perstringat. Synodus, v. g. Constantiensis œcumenica, Consilium generale Summo Pontifice superius esse desinuit: nefas esse veritatem hanc in dubium revocare, primum esset colligere ex prædicta definitione, quæ Ecclesiæ Gallicanæ & plurimis Theologis ac Pastoribus exteris perspicua disertaque videtur. Attamen cum circa genuinum hujus decreti sensum, & doctrinæ caput ab eo definitum non satis concordēs sint animi, licentiæ plurimum culpandæ reus esset, quisquis Concilii generalis supra Papam auctoritatem, veluti Fidei Catholicæ articulum proponeret, & contrariam opinionem hæreseos accusaret.

Quæ in rebus tractandis afferri debent æquitas & moderatio, eadem ergà personas pariter adhibendæ sunt. Nefas igitur sibi esse existimet Theologus, Adversarios injuriosis appellationibus laceßere, odiosis

depingere coloribus, ipsis errantes attri-
buere consecutiones quas prorsus dene-
gant; maxime autem iis veras affingere
hæreses à quibus alienissimos se profitentur.
Quantum in Opere Juventutis institutioni
consecrato, periculosa esset hujusmodi li-
centia, nemo est qui non facile intelligat.
Præjudiciis ad inflammationem promptissi-
mis animos operet, qui ab iis sese de-
fendere non possunt; funesta similitatis &
dissensionis semina diversas in Scholas spar-
geret, turbas & tumultus in Ecclesia &
imperio excitaret. Faxit autem Deus ne
Religionis scientia, ab eo destinata ut ho-
minibus lumen, sanctitatem, concordiam
asserret, ipsorum vitio, & quasi reluctans,
in odii & discordiæ fomitem convertatur!

Nihil fuit nobis antiquius, quam ut nostræ
INSTITUTIONES THEOLOGICÆ, ab iis omni-
bus incommodis essent expeditæ. Quâ mente
secernendas curavimus meras opiniones à
veritatibus revelatis, & veritates simplici-
ter revelatas ab iis quæ ad fidem catholi-
cam pertinent; singulis ordinem qui ipsis
congruit assignavimus. Ubi necesse fuit vel
aliquod doctrinæ caput stabilire, cui re-
fragantur alii Theologi, vel propriam eor-
um sententiam impugnare, semper intra
pacificæ & moderatæ disceptationis limites
stetit controversia. Severè interdictas vo-
luimus, non injustas tantum criminationes,
notasque consumeliosas; sed quaslibet etiam
voces quæ animos exacerbare solent, & in
præjudicatis opinionibus obfirmare. Quâ

moderatione non pacis duntaxat, sed &
veritatis utilitati consultum fuit. Hæc enim
in animos nunquam facilius sese insinuat,
quàm ubi ad eam defendendam non adhi-
bentur nisi arma luminis & caritatis.

Postquam Operis veluti substantiæ prio-
res curas impendimus, ipsius tractandi for-
mam à nostra attentione non duximus alie-
nam. Obscurum & incultum scribendi ge-
nus, plerosque Lectores, & maxime Can-
didatos, offendisse: exquisitior verò ele-
gantia & concinnitas, nec cœlestis illius
doctrinæ majestati, nec Tyronum modulo
congruisset. A duobus illis extremis ut pa-
riter receditur, antepositus fuit stylus
gravis, perspicuus, facilis, rerum dignitati
& Alumnorum intelligentiæ accommodatus.
Cum autem non semel nobis declaraverint,
se in Theologiæ studio plus facilitatis &
delectationis expertos fuisse, ex quo istis
utuntur elementis, propositum scopum nos
attigisse aliquantulum confidere possumus.

Non satis fuit novum istud Theologiæ *Proba-*
corpus, juxta regulas & mentem modò *tiones*
expositas compingere. Ut Opus suam ad *quibus*
perfectionem, quantum fieri posset, per- *subjec-*
duceretur vehementer optabamus. Quâ in *tum fuit*
re nihil industriæ à nobis prætermisum est. *istud*
Singuli Tractatus, statim atque à manibus *Opus.*
Autoris exierant, plurimis & quidem eru-
ditis tradebantur Theologis, qui eos ma-
turè excussos suis observationibus limabant.
Tot præviis & severis examinibus, quo-

rum nulla Theologiæ pars fuit immunis, tandem accessit Censoris Regii inquisitio. Typis verò mandatam non fuit Manuscriptum, nisi post illius peritissimi Doctoris approbationem, & privilegium inde consecutum.

Ex accumulatis tot cautionibus satis explorata erant Operis meritum & utilitas, illudque adoptare jam tum potuissimus. Nec tamen intra istos limites sese continuit nostra sollicitudo. Novo scilicet probationis generi subiciendas censuimus illas INSTITUTIONES, priusquam nostræ Diœcesi proponerentur, nostræque auctoritate consignarentur. In lucem vix prodierant, cum vehemens iis utendi desiderium nobis significarunt adolescentes, idemque studium demonstrarunt omnium Scholarum Professores. Quamvis hæc vota nostris essent planè consona, iis tamen obsecuti non sumus, nisi istà lege ut Magistri quidquid mendosi in singulis Tractatibus deprehendissent, diligenter annotarent, suarumque observationum participes scripto nos facerent. Ad eum laborem ut efficacius excitarentur, ipsis exposuimus quanta utilitas ex societatis tot luminibus derivaretur, eorumque annotationibus maximam nos attentionem adhibituros promissimus. Id consilii omnes comprobârunt, in illudque perficiendum suam contulere operam. Quod ad nos attinet, observationes nobis traditas diligenter expendimus. Ut verò de iis certius fieret iudicium, in hujus examinis societatem peritos

ascivimus Theologos. Eas omnes admisimus, quæ alicujus esse ponderis nobis visæ sunt. Hinc multiplex emendatio, hinc additamenta non pauca, quæ ab eodem Censore recognita fuerunt & approbata. Post extremum hunc laborem, exhaustâ priori Operis Editione, alteram fieri oportuit, quæ formæ à nobis præscriptæ omninò est consentanea.

Ex iis omnibus intelligitis, Fratres carissimi, quantum curæ & cautionis adhibuerimus, ut nostris INSTITUTIONIBUS THEOLOGICIS conciliaretur, quidquid perfectionis ab æquis rerum æstimatoribus optari poterat. Quapropter præcipere non dubitamus, ut deinceps in omnibus nostræ Diœceseos Collegiis & Seminariis doceantur.

Et vos, dilectissimi Theologiæ Candidati, hujus Ecclesiæ spes dulcissima, & pro quibus susceptum fuit istud Opus, eodem animo illud accipite, quo vobis offertur. Ipsiis doctrinam combibite, ad cognitiones acquirendas, quæ vobis aliquandò erunt necessariæ, ut communi Ecclesiæ bono & vestræ aliorumque salutis efficacius allaboretis. Huic studio jungite assiduam divinæ Scripturæ meditationem, crebram SS. Patrum lectionem, & recentiorum qui veritates christianas diligentius teneriorique animi affectu exposuerunt.

Vos non decipiat inanis spes compensandi in posterum studia, quæ ætate ipsis idonea, vel omiſsa, vel neglecta fuerint. Eò

*Anim
aff. Aus
ad Theo
logiæ
studium
aff.
ferendi.*

magis enim invalescit laboris fastidium ; quo mollius ipsi indulgetur. A naturâ sic comparati sunt homines , ut ea vix unquam bene calleant , quæ teneris ab annis non didicerunt. Experientiâ etiam compertum est , Presbyterum in doctrinâ suâ conditioni propriâ nunquam multum proficere , si addiscendis hujus principis operam non dederit , priusquam eo vitæ genere se obstringeret. Contrâ si animum studiis adjungere statim à juvenili ætate consueveritis , totius vitæ occupationem simul & delicias efficiet sancta hæc exercitatio ; vestro Ministerio majorem reverentiam & uberiores fructus , vestræ juventuti tutum adversus pericula præsidium , & senectuti dulce solatium afferret.

Ut tamen à Theologiæ studio vos absterreant , erunt fortasse qui eam vobis exhibeant veluti scientiam abstrusam , jejunam , ingratham , cujus methodo contrahitur ingenium , gustus corrumpitur , & exarescit imaginatio. Adjicient ita sentire viros , non seculares tantum , sed etiam interdum Ecclesiasticos , animi facultatibus præstantes. Tandem vobis persuadere conabuntur , vos ipsimet Ecclesiæ utiliores fore , humaniores litteras excolendo , quam controversiis subtilioribus vacando , in quibus non veritas , sed victoria potissimum queritur : at vobis fucum non faciant infidiosi illi sermones.

Re quidem verâ , dilectissimi Candidati , humanum ingenium cujus pravitas omni-

bus abutitur , malos in usus Theologiam non semel contulit. Inde illam infamandi occasionem arripuere ipsius obrectatores , qui simul & Religioni plerumque sunt infensi. Certum est etiam hujusmodi criminationes ab hominibus leviusculis & in fide imbecillis sæpius fuisse recantatas , quamvis nec earum fundamenta expendissent , nec originem satis cognoscerent. Unde contigit impietatem temeritate & ignorantia adjunctam , nec præjudicia longè lateque diffundisse. Quàm autem injusta sint , vobis demonstrare facile erit.

Primum ea in memoriam revocate , à quibus initium duxit Pastorale istud Documentum ; Theologiam nimirum , sive Religionis scientiam , Clerico esse prorsus necessariam ; ad Presbyterum eâ destitutum pertinere hæc Christi verba : *Cæcus autem si cæco ducatum præstet , ambo in foveam cadunt* (*Matth. 15. 14.*) Recogitate nullum esse societatis officium , quod prævia quædam studia & doctrinam sibi propriam non postulet , neminem esse posse vel Magistratum , nisi leges ; vel Medicum , nisi morbos & remedia noverit. Cum verò sacrum Ministerium aliis longius præcellat , multo magis necesse est illos qui tantâ dignitate exornantur , scientiâ pollere ad obeundas ipsius functiones requisitâ. Nihil igitur à Theologiæ studio vos eximere potest. Quamvis tantum siccitatis præ se ferret , quantum dicitur amant nonnulli , hunc prætextum profligare deberent summa Ecclesiæ utili-

tas, & primaria vestrae professionis officia.

Præterea varias perlustrate vitæ civilis condiciones, calles inspicite vepribus hirsutos, quibus ad eas pervenitur, & vobis eandem occurent difficultates, eademque fastidia. Intellegitis prima linguarum, Jurisprudentiæ, Medicinæ & Artis ipsius Militaris rudimenta, nihilo plus illecebrarum offerre, quam Theologiæ tyrocinia. Cum igitur diversarum elementis artium, eandem illigatæ sint molestiæ, quantum Clericis esset probri & dedecoris, si minus patientiæ & firmitatis afferrent, quam si qui vitæ institutis sese addicunt, quorum longè minor est gravitas & sanctitas!

Denique immeritò prorsus Theologiæ id vitii assingitur, ut ingenium coarctet, eximiasque animi dotes obruat. Nihil contra mentem erigendæ & dilatandæ aptius est, quam rerum, de quibus differit, dignitas & præstantia. Nostri scilicet oculis veram expandit Religionem, pulcherrimum illud Divinitatis opus; cælestibus nos interit confiliis, & innumeris quasi circumfundit prodigiis; certas sapientiæ & felicitatis vias nobis indigitat. Quamvis ergo eam non spectaremus, nisi veluti curiositatis & documentorum materiam, nulla esset disciplina homine dignior. Quo pacto ipsa quam adhibet methodus oblitaret, ne facultates nostræ vim suam exererent? Nulla est tutior ad dirigendum hominis ingenium, ad veritatisque cognitionem perducendum; illud, ne licentiùs evagetur, severis dialecticæ

legibus & concisâ ratiocinii formâ obstringit; illud affuefacit nihil statuere, quod certis principiis non fuerit innixum; ipsum docet quo pacto detegantur infidiosi sophismatis & subtilitatis laquei. Tandem si illustribus exemplis demonstrare opus esset, Theologiæ studium, neque cum eximia imaginandi facultate, neque cum vividis animi motibus esse infociabile, satis foret meminisse è nostris Theologis doctissimum simul ex Oratoribus nostris eloquentissimum fuisse ac præstantissimum.

Dum tamen vobis Theologiæ studium commendamus, dilectissimi Tyrones, nihil à mente nostra remotius est, quam ut vos à Litterarum commercio usuque omninò deterreamus. Quin etiam ad utrasque amice fœdere sociendas vos hortamur, modò quædam cautiones adhibueritis. In profanis scilicet Litteris à vobis quærenda est duntaxat honesta quædam animi recreatio, vel saltem iis non concedendus, nisi inferior vestris in studiis locus. Insuper eximiis antiquitatis, & superioris seculi exemplaribus præsertim adhærendum est, & ea diligenda Litteratura, quæ limando judicio simul & nutriendæ pietati inserviat. Denique religiosè à vobis fugienda sunt tum futilia Scripta, quorum illud vel minimum est vitium, ut solidioris lectionis fastidium afferant, tum maximè licentiora Opera quæ corruptelam in mores & saniora quælibet principia invehunt; tum impii & tenebrosi fœtus, quorum malè fecunda est ætas nos-

tra. Ex iis enim fidei vestræ eò certius periculum immineret, quòd nondùm sitis ad eos refellendos doctrinâ satis instructi, & præterea vestris animis insideant cupiditates, quæ tacito impulsu ipsis patrocinantur.

Non satis est, Alumni carissimi, ut Religio vestris in studiis priores habeat partes. Ad propriam salutem aliorumque utilitatem nihil proficiet hic labor, nisi ex veritatis dilectione, tanquam ex fonte, manaverit; nisi etiam vehementi illius cognoscendæ desiderio incensi, quidquid ad eam inveniendam occurreret impedimenti, amoveatis. *Si enim veritas*, inquit Augustinus, *non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest.* (*De morib. Eccl. cap. 16. n. 31.*)

Cavendum maximè ne propriæ sententiæ obstinatio, disputandi prurigo, partium studia cum veritatis amore confundantur. Iste enim posterior, ubi sincerus est ac sapiens, indivulsam habet hanc indolem, ut mansuetus sit & pacificus. Nec circa finem legitimum, nec circa prudentem illius assequendi viam fallitur; hominis opiniones pro Divinitatis oraculis non obtrudit; veritati cuidam speciali non studet cum alterius detrimento; sed omnes ita conciliat, ita defendit, ut pacem nunquam in discrimen adducat. Ejus perturbatores si audiamus, non aliud sibi proponunt, quàm Ecclesiæ bonum; quasi verò Ecclesiæ utilitas, animus, regulæ non reproberent quidquid acerbum aut violentum est.

Cùm Elias ex imo specu in quem sese abdiderat, Deo diceret: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo.* (*3. Reg. 19. 10.*) dubitari non potest quin inflammata hæc verba ex perfecta caritate prodierint. Attamen animadvertite Deum inde occasionem sumpsisse omnibus Religionis Ministris in suo Propheta dandi moderationis & lenitatis documentum; rem enim ita exponunt melioris notæ interpretes. *Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis, subvertens montes, conterens petras; . . . non in spiritu Dominus: & post spiritum commotio; non in commotione Dominus; . . . & post commotionem ignis; non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis.* Tunc, sedatâ tempestate, Deus Eliæ responsum dedit: *Et ecce vox ad eum dicens, &c.* (*Ibid. v. 11. & seq.*)

Duo Christi Discipuli qui nondùm satis noverant qualis esset Ministerii sui animus, ignem è cælo in urbem incredulam volunt demittere (*b*): sed inconsultum hunc ardorem statim compescit qui de se ipso ait: *Mitis sum & humilis corde.* (*Matth. 11. 29.*) Qui, ut doceat quantum Ecclesiæ pax optanda sit, eam suis Discipulis apprecatur, quotiès è mortuis redivivus iis conspiciendum se præbet.

Sed inter Theologos præsertim pacem hanc retineri, interest, quia ipsorum dissen-

(*b*) Vis, dicimus ut ignis descendat de cælo & consumat illos. (*Luc. 9. 54.*)

fiones malum importare solent generalius, magisque funestum. Quò enim recidunt eorum contentiones, quandò limites iis sapienter constitutos transfiliunt? Ex ingeniorum diffidiis brevi nascuntur cordium distractiones; opinionum discordiæ succedit utilitatum, affectuum, consiliorum diversitas: variæ constantur factiones quæ sibi invicem resiliunt, & nihil non moliantur ut prævaleant; altera destruit quod altera adstruit; unaquæque id tantum boni amat & approbat quod facit. Inter domesticum illud bellum omnia languent, omnia pereunt. Hinc disciplinæ solutio, morum corruptela, studiorum interitus vel negligentia; omnes vias arripit ambitio, quibus ad honores possit adrepere; politica calliditas, suis commodis ferviens, loco est doctrinæ, virtutis & meritorum; concutitur & nutat rudium pietas; populorum in Ecclesiæ Ministris fiducia labefactatur; ipsa ministerii auctoritas imminuitur; impietas totis connititur viribus, ut Religionem vel odiosam, vel incertam & ambigam faciat; alienantur Principes, suumque præsidium subtrahunt. Tandem disputandi & pugnandi fit sætetas: at circa controversiarum materiam ita deservescunt animi, ut circa ipsam fidem omnino frigeant. Renascitur tranquillitas, sed quæ sita est in otiosa & indifferenti Religionis incuria. Ea est funesta pax, quâ potissimum alligitur Ecclesia: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* (Isa. 38. 17.)

Cavete igitur, amantissimi candidati, ne in vestrarum opinionum defectu fallamini, & ne in ipsa quidem veritatis defensione modum excedatis. Ad declinandum utrumque hunc scopulum, regulas sequamini à nobis eà de re constitutas. *Estote, ut jubet Apostolus, solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis,* (Ephes. 4. 3.) cum iis quorum sententiæ à vestris discrepent. Semper memineritis vos aliquandò futuros esse illius Ministros, qui in Scripturis exhibetur ut *pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sive quæ in calis sunt;* (Coloss. 1. 20. qui non est dissensionis Deus, sed pacis. (1. Cor. 14. 33.))

Plurimum etiam vobis necessaria est morum integritas, ut in Religionis scientiâ proficiatis. Quo pacto enim accerrima quam exigit attentio, conciliaretur cum vitâ dissolutâ, & turbulentis voluptatibus distractâ? Quomoddâ tam lucidæ & puræ doctrinæ gustus sociari posset cum tenebris & fœditate cupiditatum? *Errat, inquit Augustinus, quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat.* (Lib. de agone Christ. cap. 13. n. 14.) Vestros igitur animos blandis libidinum & vitiorum lenociniis claudite: ad studium enim & animi attentionem bene comparati non eritis, nisi vita fuerit integra scelerisque pura; vestra pariter innocentia nunquam à periculis tutior erit, quam ubi intentum labori animum asferetis.

Tandem attendite; dilectissimi Tyrones,

salutis scientiam à Patre luminum, cujus est munus, defluere, & proinde ad eam obtinendam, lectioni & meditationi preces esse adjungendas. Memineritis præclaras animi dotes, longos labores, & omnes humani ingenii conatus esse veluti solum fertile & benè præparatum, quòd tamen, ut fructus ferat, rore cæli perfundatur necesse est. Sancti Ecclesiæ Doctores ex illo cælesti fonte scientiam uberius hauserunt, quàm ex hominum scriptis. Forum exemplum vobis imitandum proponite, si eruditionem cum humilitate conjunctam, perinde ac ipsi, velitis assequi. Orationem & laborem duas quasi pennas adhibete, quibus subnixi ad cælestium veritatum cognitionem assurgatis: unusquisque vestrum cum Propheta divinam opem his verbis imploret: *Disciplinam & scientiam doce me.* (Psal. 118. 66.)

DATUM Lugduni, die decimâ sextâ mensis Augusti, anno millesimo septingentesimo octogesimo quarto, sub signo sigilloque nostris & Secretarii nostri chirographo.

✠ ANT. Archiep. Lugd.

De Mandato D. D. Archiep.

B A Z I L E. Secret.

I N D E X
S C R I P T O R U M.

*Qui circa præcipuas Theologiæ
quæstiones utiliter consuli possunt.*

De Religione.

- S. Clementis Alexandrini Admonitio ad Gentes.
S. Justinus duplex Apologia pro Christianis.
Athenagoræ Apologia seu Legatio pro Christianis.
Tertulliani Apologeticus adversus Gentes.
Libri Origenis contra Celsum.
Eusebii libri de præparatione et demonstratione Evangelicâ.
S. Joannis Chrysostomi demonstratio *Quòd Christus fit Deus.*
S. Augustini libri de civitate Dei, de vera Religione, de utilitate credendi, de catechisandis rudibus.
Theodoretus de curandis Græcorum affectibus.
Summa S. Thomæ contra Gentes.
Grotius de veritate Religionis.
Hook de veritate Religionis.
Pensées de Pascal.
Vérité de la Religion Chrétienne par Abbadie.
Principes de la Foi. 3 vol. in-12.
Vérité de la Religion Chrétienne prouvée par les faits, par l'Abbé de Houteville, édit. de 1741.
Preuves de la vérité de la Religion, par le François.
Traité de l'existence de Dieu et de la vérité de la Religion par Clarke.
Addisson sur la vérité du Christianisme.
La Religion prouvée par la conversion de S. Paul, par Littleton.

Tom. I.

b